MISCELLANEA PHILOLOGICA

PHILOLOGIS ET PAEDAGOGIS GERMANIAE

VRATISLAVIAE INDE A D. XXVIII. M. SEPTEMBRIS

CONVENTUM AGENTIBUS

SUMMA REVERENTIA ATQUE OBSERVANTIA

DEDICATA

AB

ANTIQUARUM LITTERARUM IN ALMA VIADRINA
STUDIOSIS.

VRATISLAVIAE
TYPIS UNIVERSITATIS
MDCCCLVII.

Dr. Emanuel Hoffmann

1857

MISCELLANEA PHILOLOGICA

PHILOLOGIS ET PAEDAGOGIS GERMANIAE

VRATISLAVIAE INDE A D. XXVIII. M. SEPTEMBRIS

CONVENTUM AGENTIBUS

SUMMA REVERENTIA ATQUE OBSERVANTIA

DEDICATA

AB

ANTIQUARUM LITTERARUM IN ALMA VIADRINA
STUDIOSIS.

VRATISLAVIAE
TYPIS UNIVERSITATIS
MDCCCLVII.

Dr. Emanuel Hoffmann

1857

MISCELLANEA PHILOLOGICA

PHILOLOGIS ET PAEDAGOGIS GERMANIAE

[illegible]ATISLAVIAE INDE A D. [illegible] M. SEPTEMBRIS

CONVENTUM AGENTIBUS

[illegible]

[illegible]

Prooemium.

Socratem amici, cum ab eo sermonibus de optima civitate oblectati essent, postero die similibus orationis epulis remunerari constituerunt neque quidquam sibi reliqui fecerunt ad hoc consilium exsequendum. Quam splendidum autem hoc extiterit convivium, quamque apti fuerint illi viri ad Socratem talibus muneribus hospitalibus excipiendum, Timaeus et Critias dialogi satis declarant. Ne tamen exspectetis, viri doctissimi, ut inter Vestros literatissimorum hominum sermones et nostram, quam ad Vos salutandos composuimus edidimusque scriptiunculam similis intercedat ratio ei, quae est inter Polititam et duos illos amicorum dialogos. Ne miremini, quid sit, quod in hoc concursu hominum eruditissimorum ingeniosissimorumque nos surrexerimus, qui neque aetate, neque ingenio, neque doctrina sumus cum iis, qui in concilio Vestro sedent, comparandi; Vestra enim humanitate freti speramus fore ut hanc veniam nobis detis non illam qui-

dem ut putamus molestam Vobis, ut salutem Vobis dicamus hac in urbe doctissimis hominibus hodie liberalissimisque studiis affluenti et pro nostris viribus adventum Vestrum celebremus. Profitemur, nihil aliud nos agere, nisi ut studium quoddam atque officium Vobis tribuamus et ea, qua par est, diligentia Vos observemus et colamus, quamvis magnum faciamus periculum, ne magis laudandae nostrae erga Vos voluntatis, quam doctrinae atque ingenii specimen edidisse videamur. Dicere enim vix possumus, quantopere nobis ipsis gratulemur, quod Vos, viri doctissimi, florem tanquam philologorum et praeceptorum Germaniae, in Aula nostra Leopoldina comiter exceptos compellatosque conspicamur, cum nobis liceat oculis intueri hunc Vestrum desideratissimorum hominum conventum, auribus audire Vestros sermones plenos omnium boarum artium ac disciplinarum mentibusque percipere. Nam talem virorum doctorum concursum non solum ad universam rem literariam Germanorum gravissimam, sed etiam ingentibus in patriam ipsam meritis insignem esse censemus. Conciones habentur agricultorum Germanorum ac medicorum, consultationes fiunt et conventus ad rem aerariam ac tributariam ordinandam: haec et alia consilia omnium gaudio ac plausu excipiuntur, quod sic omnes patriae partes magis magisque in unius populi civitatisque corpus coalescere putantur. Quid tum exspectare licet a philologorum eorumque virorum conventu, qui vel optime meriti sunt de juventute Germanica ad humanitatem informanda, qui eam potissimum colunt disciplinam, qua omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, quasi cognatione quadam ac vinculo inter se continentur, qui maximopere student ac favent literis Graecis Romanisque, quarum nisi lumen accessisset, omnia apud nos jacerent in tenebris. Sunt haec studia, quae adolescentiam, ut ait M. Tullius, alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

Quis est, qui neget vel nesciat, quam multas nobis imagines non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum, fortissimorum patriaeque ac libertatis amantissimorum virorum expressas scriptores et Graeci et Latini reliquerint, quas nos omnes nobis semper proponentes animos et mentes, vitam et mores cogitatione ipsa hominum excellentium conformamus! Quid igitur mirum, si universa Germanorum natio ex his potissimum literis verum saluberrimumque mentis cultum ac fructum percepit, si patria, cum aegrotaret hominum et mentibus et moribus ac prope desperata esset, illis literis renatis iterum iterumque ad novam vitam tanquam ex somno excitata est! Quid dicamus de omnibus illis viris doctis ac ludorum magistris, qui vulgo putantur ita se literis abdidisse, ut nihil possent ex his neque ad communem conferre utilitatem neque proferre in adspectum lucemque, qui modesti umbratilem et a vulgo et scena remotam vitam agentes, cum nihil agere viderentur, majora tamen egerunt, quam multi in negotiis publicis versati et populari aura subflati. Quid amplius? Quidquid delirant imprudentes, satis nobis persuasum est, antiquarum literarum studia etiamnunc et saluberrima et plane necessaria esse, ut instrumenta gravissima animorum excolendorum morumque formandorum, atque cum in naturas eximias et illustres haec ratio conformatioque et cogitandi et agendi penitus invaserit, ad quam novissimi rerum gestarum literarumque antiquarum scriptores viam demonstrant, tum fore ut praeclarum illud ac singulare existat, a quo salus patriae exspectanda sit.

Non solum igitur rei literariae, sed etiam patriae gratia cum quemque Vestrum, viri doctissimi, tum vero Vos potissimum, qui vel ex longinquis Germaniae partibus vel nunc primum ex terris Austriacis, ut jam nulla inveniatur patriae pars, quin sit particeps communium nostrorum studiorum, huc estis pro-

fecti, in Alma Viadrina ex animi nostri sententia plurimum salvere jubemus precantes, ut hos qui insequuntur studiorum nostrorum qualescunque fructus, quos documentum quamvis exiguum nostrae erga Vos reverentiae esse volumus, benigne comiterque accipiatis.

Philologiae studiosi Vratislavienses.

De scholio quodam ad Platonicae Civitatis initium pertinente.

Ad illa, quae in Platonis Civitate (p. 327, A.) leguntur verba: *προσευξόμενός τε τῇ θεῷ καὶ ἅμα τὴν ἑορτὴν βουλόμενος θεάσασθαι* hoc habemus scholion: *ἑορτὴν ἐνταῦθα τὴν τῶν μικρῶν Παναθηναίων φησίν· ἦν γὰρ καὶ μεγάλα. καὶ ταῦτα μὲν ἦγον εἰς ἄστυ, Ἑκατομβαιῶνος μηνὸς τρίτῃ ἀπιόντος· ἐν οἷς πέπλος τις ἀνήγετο τῇ Ἀθηνᾷ, καθ' ὃν ἐδείκνυτο ἡ κατὰ τῶν Γιγάντων ταύτης τε καὶ ἡ τῶν Ὀλυμπίων νίκη θεῶν· τὰ δὲ μικρὰ Παναθήναια κατὰ τὸν Πειραιᾶ ἐτέλουν, ἐν οἷς καὶ πέπλος ἄλλος ἀνεῖτο τῇ θεῷ, καθ' ὃν ἦν ἰδεῖν τοὺς Ἀθηνᾶς τροφίμους νικῶντας τὸν πρὸς Ἀτλαντίνους πόλεμον· ἃ δὴ τοῖς Βενδιδίοις καλουμένοις εἵπετο* [1]. Sic hoc scholion extat in Schneideriana Civitatis editione minore (a. 1841) ex optimis codicibus restitutum. — Videamus, quae sit vis ac veritas earum, quae hoc in scholio traduntur, rerum. Enarratur enim, Platonem illo loco significare voluisse Panathenaea minora; celebrata vero etiam esse Panathenaea majora sub finem mensis Hecatombaeonis, in quibus vestis Minervae circumferretur, cui certamina deorum contra gigantas atque illorum victoria conspicerentur intexta; minora autem Panathenaea acta esse proximo a Bendidiis die in Piraeeo atque in iis circumgestatam stragulam, in qua depicta fuerint res ab Atheniensibus contra Atlantinos gestae. Haec, quae a scholiasta de peplo illo Minervae memoriae prodita sunt, permultis viris doctis argumento esse videntur fabulam illam Atlanticam esse antiquissimam. Velnti Alexander Humboldtius [2]) in libro „Examen critique de l'histoire

---

[1]) Extrema hujus scholii verba, cum ad eum, quem nostrae disputationi proposuimus, finem minus spectent, praetermittimus; sunt autem apud Scheiderum haec: *τούτων δὲ καὶ Θρᾶκες ἐκοινώνουν, ἐπεὶ καὶ Βένδις παρ' αὐτοῖς ἡ Ἄρτεμις καὶ τιμωμένη παρ' ἀμφοῖν. ταῦτα δ' ἐτελεῖτο Θαργηλιῶνος ἐννάτῃ ἐπὶ δέκα.* Cfr. Proclum (ad Tim. 17 B.) p. 9 B.: *ὅτι γὰρ τὰ ἐν Πειραιεῖ Βενδίδεια τῇ ἐννάτῃ ἐπὶ δεκάτῃ Θαργηλιῶνος, ὁμολογοῦσιν οἱ περὶ ἑορτῶν γράψαντες.*

[2]) Haec sunt Humboldtii verba: „Nach der Bemerkung des grossen Kenners und Forschers des griechischen Alterthums, Böckh, ist es hauptsächlich die Erwähnung des Atlantenkrieges an den kleinen Panathenäen, welche für das hohe Alterthum der Ueberlieferung von der Atlantis spricht und den Beweis dafür liefert, dass nicht Alles in dieser Mythe Erdichtung des Plato sei. „An den grossen Panathenäen trug man in feierlichem Umzuge ein Peplon der Minerva einher, welches den Kampf der Riesen und den Sieg der Götter des Olymp über dieselben darstellte. An den kleinen Panathenäen trug man ein andres Peplon umher, welches darstellte,

de la géographie du nouveau continent“ inscripto, ab Idelero in vernaculam linguam translato, res ab isto scholiasta memoriae proditas non solum pro exploratis habendas et sine ulla dubitatione excipiendas, sed etiam cum Marcelli quodam fragmento, apud Proclum nobis servato, insigne documentum esse censuit ad fabulae Atlanticae a Platone in Timaeo et Critia enarratae vetustatem demonstrandam. Haud secus Nicolaus Bachius (de Solone poeta, Bonnae 1825, p. 53) colligit, illam fabulam post Solonis etiam aetatem, qui cum civibus eam communicaverit, servatam et ab Atheniensibus praecipuo honore habitam esse, quin etiam fausta fortuna servatum censet monumentum, quod rem istam a scholiasta descriptam sub aspectu nobis ponat, Minervae quoddam simulacrum in Augusteo Dresdensi, cujus media reste longo tractu descendit fascia, undecim campis ornata, in quibus quae figurae inter se pugnantes conspiciuntur, Atheniensium et Atlantinorum esse arbitratur. Hoc quidem loco demonstrare non possumus, quibus de causis potius W. G. Bekkeri, O. Mülleri, aliorum amplectenda sit sententia, qui quidem censent, haud dubie hoc signum pugnas deorum et gigantum depictas exhibere [3]); sed pro explorato statuimus hos viros recte judicasse. Audiamus igitur nunc ea, quae O. Müller, cum Humboldtiani operis censuram ageret (Göttinger gelehrte Anzeigen, 1836 p. 382), de auctoritate illius scholii protulerit [4]). Rejicit quidem hic vir Boeckhii et Humboldtii sententiam Platonis ipsius testimonio confisus, qui, si Athenienses illo tempore in Panathenaeis Atlanticam fabulam sic celebrassent, cum ei quam maximam vellet vindicare fidem atque auctoritatem, non sola Aegyptiorum sacerdotum et Solonis narratione nisus esset; sed non dubitat O. Müller, quin

---

wie die Athener, angeregt von der Minerva, im Kriege gegen die Atlanten die Oberhand behielten.“ — Dieses Andenken von dem Kriege der Atlanten auf dem Peplon der kleinen Panathenäen und das von Proklos aufbewahrte Fragment des Marcellus, welche auf die Erinnerung an eine physische Katastrophe jenseits der Säulen des Herkules hindeuten, verdienen eine ernste Betrachtung von Seiten derjenigen, welche in die Finsternisse der geschichtlichen Ueberlieferungen einzudringen streben.“

[3]) Cfr. W. G. Becker, Augusteum, Dresdens antike Denkmäler, t. I. tab. IX, X. Stuart, Antiquities of Athens, IV, 1, 2. O. Müller u. Oesterley, Denkmäler der antiken Kunst I, N. 36. In Universitatis Viadr. Museo archaeologico hujus signi exemplar extat e gypso fictum.

[4]) Dicit O. Müller haec: „Der Verfasser des vorliegenden Werkes hat sich durch einen Umstand bestimmen lassen, der Sage von der Atlantis einen altathenischen Ursprung zuzuschreiben, und beruft sich, wie wir gestehen müssen, auf die beistimmende Mittheilung eines Meisters der Philologie, dessen Urtheile auch über mythologische Fragen ebenso frei von Leichtgläubigkeit, wie von Hyperkritik sind. Es ist die Angabe etc. — Ist aber nicht Platon selbst Zeuge genug dafür, dass zu seiner Zeit dies noch nicht geschah, indem er sich nicht so ausschliesslich auf die Mittheilungen der ägyptischen Priester an Solon und die Familientradition, durch die sie ihm zugekommen sein sollen, berufen könnte, wenn die Athener bei dem Hauptfeste ihrer Göttin dem Mythos schon eine so ausgezeichnete Stelle eingeräumt hätten? Der Panathenäische Peplos war bekanntlich ein immer neues Feld für grossartige Sujets der antiken Stickerei; die makedonischen Herrscher, Athens verdiente Männer fanden darauf ihre Stelle, man trieb viel Prunk damit noch in der römischen Kaiserzeit, wie Herodes Attikus in der Zeit der Antonine ihn zuerst als Segel eines von Maschinen bewegten Schiffes durch die Strassen Athens rollen liess; wie natürlich war es nun, dass in der Zeit, wo Athen eine philosophische Akademie geworden war, in der eine neue Platonische Schule herrschte, Platons Kritias wie ein altes Epos gefeiert und die darin erzählten beispiellosen Grossthaten der Athener auf den Peplos gesetzt wurden. So versinkt uns denn aller traditionelle Boden dieser Platonischen Atlantis.“

posteriore demum tempore, cum urbs Atheniensium philosophorum quaedam academia facta esset, Platonis Critias tamquam priscum carmen populare celebratus sit, res autem in eo enarratae in peplo Panathenaeo depictae fuerint.

Sed ne hujus quidem viri opinionem probare possumus.

Si quidem verum esset, quod scholiasta dicit, in Panathenaeis minoribus victoriam Atheniensium de Atlantinis ita celebratam esse, Plato hoc die, quo ipsi illi ludi edebantur, sane commodissime hac re usus esset, ut optimam civitatem in motu positam depingeret. Sed, ut O. Müller jam recte sensit, Plato ipse satis diserte ac dilucide nos docet, suo tempore civibus Atheniensibus res illas nondum cognitas fuisse. Narrat enim in Timaei introitu, Solonem quidem istam fabulam, postquam ex Aegypto Athenas transtulerit, carmine epico celebrare voluisse, sed cum propinquis tantum ac familiaribus eam communicasse, per quos tanquam hereditate usque ad Critiam minorem pervenerit. Nihil vero neque apud Platonem, neque apud alium antiquum scriptorem commemoratum invenimus, quo stragula ista aut alia re Athenienses vel ante Platonem vel etiam postea illam de Atlantinis victoriam illustrasse intelligantur. Si vero Solo illos de Atlantide sermones cum popularibus contulisse cogitandus esset, haud dubium est, quin et artifices et poetae et scriptores ad eam respecturi eamque multis modis adornaturi fuerint. At Critias eam apud Platonem ut inauditam quandam narrationem ac summopere miram refert. His atque aliis argumentis ex Platone ipso haustis demonstrare possumus, perperam ista ab scholiasta prolata esse, si ad Platonis tempus pertinerent. Sed ne alio quidem ullo tempore ille solemnis in Panathenaeis minoribus mos obtinuisse nobis videtur. Nam scholiasta, ut jam indicavimus, omnino erravit, falsaque nobis retulit. Nostrum vero nunc erit, ut fontem exploremus, unde magnus ille error fluxerit ac tam late propagatus sit.

Derivatum est illud scholium haud dubie ex Procli commentario ad Timaeum Platonis scripto, ubi haec leguntur p. 9 B.: *δῆλον δὲ ἐκ τούτων εἰσὶ καὶ οἱ χρόνοι τῶν διαλόγων, τῆς τε Πολιτείας καὶ τοῦ Τιμαίου, εἴπερ ἡ μὲν ἐν τοῖς Βενδιδείοις ὑπόκειται τοῖς ἐν Πειραιεῖ δρωμένοις, ὁ δὲ ἐν τῇ ἑξῆς τῶν Βενδιδείων. ὅτι γὰρ τὰ ἐν Πειραιεῖ Βενδίδεια τῇ ἐννάτῃ ἐπὶ δεκάτῃ Θαργηλιῶνος, ὁμολογοῦσιν οἱ περὶ τῶν ἑορτῶν γράψαντες: ὥστε ὁ Τίμαιος ὑποκέοιτο ἂν τῇ εἰκάδι τοῦ αὐτοῦ μηνός. εἰ δὲ, ὡς ἑξῆς ῥηθήσεται, καὶ Παναθηναίων ὄντων ὑπόκειται, δῆλον, ὅτι τὰ μικρὰ ἦν ταῦτα Παναθήναια. τὰ γὰρ μεγάλα τοῦ Ἑκατομβαιῶνος ἐγίνετο τρίτῃ ἀπιόντος.* Neminem fugiet, quam similia sint haec extrema Procli verba illis scholiastae: *ἦν γὰρ καὶ μεγάλα· καὶ ταῦτα ἦγον εἰς ἄστυ, Ἑκατομβαιῶνος μηνὸς τρίτῃ ἀπιόντος.* Multo tamen majoris momenti est locus Procli, qui legitur p. 26 F. *ἄλλος οὖν οὗτος πέπλος ὑπ' αὐτοῦ πόλεμον ἔχων. ἐν ᾧ νικῶσιν οἱ τρόφιμοι τῆς Ἀθηνᾶς, ἀνάγεται τῇ θεῷ, ὥσπερ ἐκεῖνος ὁ τῶν Παναθηναίων πέπλος ἔχει τοὺς Γίγαντας νικωμένους ὑπὸ τῶν Ὀλυμπίων θεῶν, καὶ ὕμνος ἀποδίδοται τῇ θεῷ δίκαιος καὶ ἀληθής.* Hunc Procli locum si contendimus cum scholio illo, in iisdem rebus verba paene eadem posita intelligimus. Quis igitur est, qui neget, certam quandam intercedere rationem inter scholiastam et Proclum ac talem quidem, ut illius nota ex Procli duobus illis locis fluxisse putanda sit? Id enim vix cuiquam credibile sit, scholiastam ex alio vetustiore fonte hausisse suum commentarium vel etiam ipsum in remotiore antiquitate ponendum esse quam Proclum Neoplatonicum. Julius Schückius, qui

dissertationem scripsit de scholiis ad Platonis Civitatem pertinentibus neque quidquam sibi reliqui fecit ad vetustissimos scholiorum auctores indagandos satis firmis argumentis demonstrat, ea vetustissima esse scholia Platonica, quae ad Neoplatonicorum commentarios redeant, sed qua supra horum aetatem ascendant, nulla esse.

At ne recte quidem hic Platonis scholiasta Procli verba percepit, excerpsit, exscripsit, ita ut indoctissimus et inconsideratissimus esse videatur. Erravit primum, quod dicit, hoc Civitatis loco (*τὴν τῶν μικρῶν Παναθηναίων ἑορτήν*) parva Panathenaea significari, cum ex Thrasymachi verbis, quae Civ. p. 354 A. leguntur, de Bendidiis sermonem esse pateat. Tum perperam quin commemoraverit scholiasta: *τὰ δὲ μικρὰ Παναθήναια κατὰ τὸν Πειραιᾶ ἐτέλουν*, ne ii quidem dubitant, qui hoc scholio ut gravi argumento utuntur. Hic autem error ex priore illo profectus est. Nam cum scholiasta Platonis verba ad Panathenaea referret, in Civitate autem ipsa ineunte legeret: *κατέβην χθὲς εἰς Πειραιᾶ προσευξόμενος τῇ θεῷ*, statuere necessitate quadam coactus est, Panathenaea in Piraeo fieri solere, et cum negligentissime et incuriosissime in Proclo excerpendo versaretur, miscuit, quae ille de Bendidiis et quae de Panathenaeis commentatus est. Adjecit vero praeterea ex arbitrio ad vocem *πόλεμον* illa *τὸν πρὸς Ἀτλαντίνους* verba, quae apud Proclum desiderantur. Quare cum satis appareat Procli adnotationes apud scholiastam in deterius mutatas esse, mirum non est, quod idem omnino non percepit, quid Proclus sibi voluerit, cum illa de peplo Minervae verba faceret. Non enim intellexit, eum loco illo sine dubio, ut solet, symbolice et allegorice loqui, id quod non minus viris doctis recentioribus accidisse videtur. —

Leguntur illa Procli verba in ampliore quadam disputatione, qua Timaei locum interpretatur p. 21 A, ubi Critias dicit, sibi reliquisque amicis aptum videriet Socrati gratiam referre, et simul deam in festo coetu juste ac vere tanquam hymno concelebrare. Copiose primum demonstrat Proclus, quas partes in universi natura sustineat illa dea. Mentis tanquam et cogitationis vinculis continere mundum dicit Minervam, in quo etiamsi diversissimae rerum species conspiciantur et contrariae inter se vires pugnent, tamen omnia secundum certas leges ordinata et instructa esse, quae conjunctae simplex quoddam et unum efficiant. Hanc unitatem repraesentare et Minervam et festos illos coetus huic deae consecratos, in quibus eundem consensum atque ordinem animadvertamus. His propositis comparat Timaeum dialogum cum Parmenide, qui quidem in magnis Panathenaeis habitus sit, cum Timaeus in minora cadat. Duplicem enim esse deae actionem ac potestatem, *ὁλικήν τε καὶ μερικήν* (ut Graecis utar verbis), *ὑπερκόσμιόν τε καὶ ἐγκόσμιον, νοητήν τε καὶ αἰσθητήν*, alteram representari majoribus, alteram minoribus Panathenaeis. Accurate autem disjungit utrumque solemne a Bendidiis, quibus vis quaedam extrinsecus in mundum invadens exprimatur; contra Panathenaea ordinatam et rectam rerum naturae compositionem sapienterque constitutam virium distinctionem tanquam in conspectu nobis ponere: Minervam enim esse sapientiae simul et belli studiosam, qualis a Platone ipso dicitur. Tum vero sequuntur ista, quae jam protulimus, verba de deae peplo. Alia igitur, inquit, stragula circumfertur bellum illud in se depictum exhibens, quo Minervae alumni vincunt, ut illud Panathenaeorum peplum habet Gigantas ab Olympiis diis victos; atque hymnus cantatur deae justus ac verus. Quo spectant haec verba? Nonne ad Platonis ipsius ista: *τὴν θεὰν ἅμα ἐν τῇ παν*

φήσει δικαίως καὶ ἀληθῶς οἷόνπερ ὑμνοῦντας ἐγκωμιάζειν, quae hoc loco interpretanda suscepit Proclus? Quid tum significat hoc peplum, in quo laudes Minervae alumnorum depictae sunt? Estne de vero quodam peplo cogitandum, an imagine tantum utitur Proclus et dicendi quodam flore poetico? Non aliter profecto haec verba accipienda et interpretanda sunt. Peplum enim illud, quod Proclus vocat, sermo est ille Critiae ac reliquorum amicorum, certamina autem Atheniensium, quae illi intexta sunt, designant res, quae in illo sermone enarrantur ab Atheniensibus quondam contra Atlantinos gestae; neque ulla causa est, cur ille *ἄλλος οὗτος πέπλος* significare credatur vestem illam in Panathenaeorum minorum pompa gestatam. Ad ea enim, quae antecedunt, pronomen *οὗτος* spectare non potest; neque ad sequentia, nisi forte ad participium *ἔχων ὑπ' αὐτοῦ πόλεμον*, qua locutione accuratius quodammodo definitur vis pronominis. Apparet autem, hoc pertinere ad Platonis ipsius verba, ita ut *οὗτος πέπλος* sit illud peplum, quod tanquam in sermonibus circumfertur. Hoc igitur sermonum peplum (*οὗτος πέπλος*) comparatur cum illo, quod re vera in Panathenaeorum pompa gestari solet, quod *ἐκεῖνος ὁ τῶν Παναθηναίων πέπλος* appellatur, qua appellatione et oppositione satis declaratur, alterum esse verum Panathenaeorum peplum, alterum vero tale, quod circumferri tanquam allegorico sermone fingitur; atque ut illud continet victoriam deorum, sic hoc laudes Atheniensium. Proclus vero narrationem Atlanticam vestem variis coloribus et imaginibus depictam eodem jure peplum dicere potuit, quo Plato ipse de sermonum epulis loquitur. Illud enim ornandae et figurandae orationis studium tantum abest, ut a Procli ratione dicendi abhorreat, ut nihil potius sectetur hic Neoplatonicorum scriptorum dux, quorum oratio tropis et figuris abundat. Sed ne novitas quidem et insolentia hujus figurae praetexenda est; nam et alia sunt hujus metaphorae exempla. Commemorandum autem primum est Aristotelis exemplum [5]), cujus inter opera numeratur carmen vel potius epigrammatum collectio, quae *πέπλος* appellata est ab eodem illo velo, quod in Panathenaeis circumferebatur, cui praeter ipsius Minervae facinora heroum res gestae intextae erant. Multa vero alia exempla inveniuntur apud Lobeck. Aglaoph. p. 379 [6]), ubi de Orphico quodam carmine sermo est, quod inscribitur *Πέπλος καὶ Δίκτυον*. Sic apud omnium omnis memoriae gentium scriptores oratio cum tela comparatur orationisque componendae actio cum texendo.

---

[5]) Cfr. Eustath. ad Hom. Iliad. II, 557 (ed. Bas. p. 216): *ἱστορεῖ δὲ ὁ αὐτὸς Πορφύριος καὶ ὅτι Ἀριστοτέλης σύγγραμμα πραγματευσάμενος, ὅπερ ἐκλήθη πέπλος, γενεαλογίας τε ἡγεμόνων ἐξέθετο καὶ νεῶν ἑκάστων ἀριθμόν. καὶ ἐπιγράμματα εἰς αὐτούς, ἃ καὶ ἀναγράφεται ὁ Πορφύριος ἐν τοῖς εἰς τὸν Ὅμηρον, ἁπλᾶ ὄντα καὶ οὐδὲν παχὺ καὶ φλεγμαῖον ἔχοντα.* Notum est, haec seu philosophi, seu alterius Aristotelis epigrammata in Anthologia Graeca nobis servata esse.

[6]) Lobeckius, cum dicat de carminibus, quae Orpheo adscribi solent, sic l. c. loquitur: *Πέπλον καὶ Δίκτυον* Suidas vel Zopyro vel Brontino adscribi refert, Clemens vero Peplum et Physica junctim Brontino adsignat. Prius carmen utrum pars Hierostolicôn an Aristotelis Peplo similius fuerit an vero Cosmogeniae quandam imaginem rediderit, dijudicare prope temeritatis videtur; tam varius est et tam multiplex hujus nominis usus. Eustathius p. 1213. 3: *πέπλον ῥητορείας ἐξαρτύει ὁ ποιητὴς ὁποῖόν τινα καὶ πρὸ τούτων ἐξύφανε.* Alii coelum propter varias stellarum picturas vel universum mundum peplo assimulant. — Sequuntur apud Lobeckium alia ejus generis exempla.

Videmus igitur, toto illo Procli enuntiato nihil effici, nisi ut Platonis dictio *τὴν θεὸν ἅμα ἐν τῇ πανηγύρει δικαίως καὶ ἀληθῶς οἷόνπερ ὑμνοῦντας ἐγκωμιάζειν* circumscribatur et uberiore oratione explicetur ad dialogi ipsius argumentum apposite. Testis vero hujus sententiae gravissimus est Proclus ipse, qui p. 41 E. [7]) tria tanquam distinguit peplorum genera, quorum unum re vera contexatur et circumferatur ad Minervae laudes celebrandas, alterum Platonis sermonibus contineatur, tertium vero in Minervae ipsius capite existat. — Minime verum usquam pro certo dicit Proclus, Athenienses ita illo die concelebrasse victoriam de Atlanticis populis reportatam, sed solos id fecisse amicos illos, ut sermonibus Socratem exciperent et oblectarent. — Itaque cum dubitari nequeat, quin scholium istud, quod nihil novi praeter apertos complures errores contineat, ex Proclo exscriptum sit ab indoctissimo homine, vel etiam ex alio scholio fluxerit, cujus fons Procli commentarius fuerit, neque ullum aliud antiquitatis testimonium inveniatur, quo confirmetur illa de peplo Minervae in Panathenaeis minoribus circumlato sententia, omnis huic fides atque auctoritas deneganda est, ita ut omnia in irritum cadant, quae etiam posteriores de illo peplo confabulati sint [8]). Infitiari quidem vix quispiam ausit, Minervae peplo res ab heroibus gestas celeberrimorumque posterioris aetatis hominum imagines interdum intextas esse [9]); sed haec omnia ad Panathenaea magna eorumque pepla pertinent. Neque vero credibile videtur, philosophos Platonicos Athenis unquam tantum valuisse, ut eorum magistri quaedam nar-

---

[7]) Proclus haec facit verba de tribus illis telis: *μᾶλλον δὲ ἔσχατον μὲν ὁ πέπλος, τὸ τῆς ὑφαντικῆς ἔργον, εἴδωλον φέρων τοῦ κοσμικοῦ πολέμου καὶ τῆς δημιουργικῆς ἀπὸ τῆς θεοῦ τάξεως τῆς εἰς τὸ πᾶν προϊούσης, ὃν ἡ θεὸς ὑφαίνει μετὰ τοῦ πατρός· τούτου δὲ κρείττων ὁ ἐν λόγοις ὑπὸ τοῦ Πλάτωνος καὶ ἐν αἰνίγμασι περὶ τῆς ὅλης ἐναντιώσεως καὶ τῶν Ἀθηναϊκῶν ἔργων φερόμενος, ὃς καὶ αὐτὸς εἰς τὴν ὅλην συντελεῖ κοσμοποιίαν, ὥσπερ ἐκεῖνος εἰς τὴν τῆς θεοῦ πομπὴν καὶ τὴν ὅλην πανήγυριν, τὰ γὰρ Παναθήναια τῆς εἰς τὸ πᾶν ἐστιν Ἀθηναϊκῆς ποιήσεως εἰκών. ἀνωτέρω δὲ τούτων ἀμφοτέρων ἐστὶν ὁ ἐν τῷ παντὶ νοερῷ φωτὶ τῆς Ἀθηνᾶς ὑφασμένος· ἡ γὰρ ἐναντίωσις ὑπόκειται τῇ μιᾷ ζωῇ τοῦ παντὸς, καὶ ὁ πόλεμος μέρος τῆς δημιουργίας, ὃν ἡ στρατηγικὴ τῆς Ἀθηνᾶς διατάττει δεόντως· καὶ πρὸ τούτων ἁπάντων ὁ ἐν ταῖς παραδειγματικαῖς αἰτίαις καὶ τῷ νοητῷ προϊδρυμένος καὶ ἐν τῇ μιᾷ νοήσει τῆς Ἀθηνᾶς περιεχόμενος. Ἦδε γὰρ ἀθανάτων προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασῶν Ἱστὸν ἐποίχεσθαι, φησὶν Ὀρφεύς.*

[8]) Quid vero tum, si ne eo quidem die, quo hi sermones habentur, Panathenaea minora celebrata sunt? C. O. Müller certe, quo anni tempore Panathenaea minora acta sint, quaerens (Mus. philol. Cantabrig. vol. II. p. 227) ostendit, Proclum non certis documentis de tempore illorum ludorum edoctum fuisse, sed ea, quae protulerit, sola ex ratiocinatione et interpretatione Timaei hausisse, illas vero „*περὶ τὴν Ἀθηνᾶν ἑορτὰς*“ respicere ad Callynteria ac Plynteria. Mülleri vestigia sequitur Carolus Steinhartus, vir de Platonis operibus optime meritus (Platon's sämmtliche Werke, übersetzt von H. Müller, mit Einleitungen begleitet von K. Steinhart, vol. VI. p. 43), qui haec praeterea adnotavit: „Proklos trägt überdies den festlichen Umzug mit dem alle 4 Jahre erneuerten, heiligen Peplos, auf welchem die Thaten der Göttin dargestellt waren, von den grossen Panathenäen fälschlich auf die kleinen über, an denen eine solche Procession nicht stattfand.“ Satis igitur indicavit quamvis tacite, quid de scholio isto cogitaverit, sed nusquam, quo modo illum Procli locum intellexerit, unde scholiasta suam notam hausit. C. O. Müller vero nisi forte secum pugnasse cogitandus sit, postea suam sententiam de tali peplo posteriore demum tempore, cum Platonis disciplina Athenis maxime vigeret, in Panathenanis deae dedicato, et de hujus rei testimonio mutasse videtur. Nam ipse dicit in Musei Cantabrigiensis commentatione, scholiastam „a doctioribus disputata truncasse et plane pervertisse,“ Procli vero commentationes sola ex cogitatione et interpretatione Timaei ipsius originem duxisse. —

[9]) Cfr. Aristophan. equ. 366: (*ἄξιοι τοῦ πέπλου*) et commentarios ad hunc locum adjectos.

ratio imperfecta loco carminis patrii ac popularis coleretur ab Atheniensibus. In similem errorem incidisse videtur vir quidam doctus Francogallus, Th. H. Martinus [10]) (études sur le Timée de Platon, Par. 41), qui putat, in illo peplo depictas fuisse res ab Atheniensibus contra Persas gestas. Non liquet, quo jure ista Procli verba ad Persicum bellum retulerit, atque si hae res vere ita concelebratae sint in Panathenaeis, haud dubie in majoribus hoc factum putandum est, ut alia, quae modo commemoravimus. Nihilo tamen secius ille vir ad eundem fere disputationis finem pervenit atque nos. Nam illam de peplo, quod repraesentaverit victoriam Atheniensium de Atlantinis, factae memoriam omni privat fide. Utinam longius progressus esset atque Procli allegorica dicendi ratione perspecta, omnino negasset, in Panathenaeis minoribus peplon tale circumlatum ac deae dedicatum esse. In scholiastae quidem commento his causis expositis nullum reperimus vestigium quo vetustior fabulae Atlanticae origo comprobatur.

---

[10]) Haec sunt Martinii verba: A côté de la scholie, on invoque le témoignage de Proclus; mais il est évident que le scholiaste de la République a copié le commentateur du Timée, comme il est aisé de s'en convaincre en comparant les deux passages. Or, que dit Proclus? Qu'on portait dans les grandes Panathénées un peplum représentant la [victoire des dieux sur les géants, et dans les petites Panathénées un autre peplum représentant la victoire des Athéniens, élèves des dieux. Proclus a eu soin d' insister sur la ressemblance de ces deux victoires, et de dire que le dieux aussi ont repoussé une invasion de barbares, *βαρβαρικοῦ κλύδωνος*. Quels étaient donc les barbares que l'on voyait sur les peplum des petites Panathénées, et dont on célébrait la défaite par des hymnes religieux pendant cette cérémonie? Proclus ne le dit pas en cet endroit, parce que tout le monde le savait de son temps: c'étaient les Perses, et non les Atlantes, comme le scholiaste l'a ajouté par forme de commentaire. Plus loin, Proclus s'explique: il nous dit que dans les petites Panathénées on ne cessait de chanter des éloges mille fois rebattus de la victoire sur les Perses, et des autres victoires historiques des Athéniens, dues à la protection de Minerve. Mais que Platon, voulant honorer Athènes et la déesse d'une manière moins vulgaire, a célébré l'expulsion d'un autre peuple envahisseur venu de l'occident. Le peplum destiné à rappeler le souvenir de ce dernier événement doit dont être mis sur la même ligne que la statue équestre des Atlantes de Corvo, et que les traditions de l'île inaccessible. —

L. A. Senecae dial. IX. c. 2. p. 6 (ed. Haas) corruptus ni fallor locus hucusque pervulgatur: qui non inconstantiae vitio parum leves sunt, sed inertiae. Optimi quidem libri praebent constantiae pro inconstantiae; neutram tamen scripturam cum genuinam esse mihi persuasum sit, loco diligenter pertractato scribendum esse existimo: qui non constantia vitae parum leves sunt, sed inertia. Vocula levis cum saepissime falso intelligatur, de hac breviter disputabo. Quodsi conferimus hujus paragraphi initium, levitatem hoc loco intelligimus fere eandem esse atque inconstantiam, ut altera ex altera exoriatur. Qui leves sunt, iidem se praebent inconstantes; qui parum vel minus leves sunt, minus sunt inconstantes i. e. accedunt ad vitae constantiam. Neque tamen quisquis parum levem se praestat, putandus est accedere ad constantiam vitae, quoniam multa alia sunt, imprimis inertia, qua qui laborat minus levis apparet. Vides, quid Seneca istis verbis voluerit. Prohibiturus enim erat legentes, quominus minorem levitatem ex eodem fonte semper derivarent, ex vitae constantia, qua profecto omnis levitas diminuitur atque tollitur. De inconstantiae igitur vitio nostro loco non est cogitandum, quare scribendum esse arbitror: qui non constantia vitae parum leves sunt sed inertia, praesertim cum constantia vocabulum nitatur auctoritate optimorum et vetustissimorum libb. mss.

Ejusdem dialogi c. 2. p. 7 scriptum est in plerisque codd.: pendentibus. Ad vota sua omni via pendunt, quae quidem scriptura nullo modo sanam praebet sententiam, cum verbum pendunt non possit sine accusativo dici, qui h. l. neque legitur neque intelligi potest aut aliunde suppleri. Quare librarii quidam, cum pendunt vocem ex pendent esse exortam putarent, praesertim cum paulo ante scriptum esset pendentibus, pendent falso restituisse videntur. Quae scriptura quamvis multis sit probata, mutata quidem voce via in vita, ut a Ruhkopfio et Fickerto (quem miror non recepisse in contextum operis conjecturam, quam sibi placere in annott. critt. affirmavit) tamen non est ea quae plane respondeat et satisfaciat enunciatorum connexui. Apparet enim his ipsis verbis quae in dubitationem venerunt indicare voluisse Senecam, quomodo se gererent isti mobiles instabilesque, qui penderent (ad vota sua). His praemissis non est consentaneum, pergere auctorem: omni via (vel vita) pendent, quippe quae sententia jam satis superque enunciata sit in superioribus. Neque magis ita ut verba illa ad inferiora referamus, possunt teneri. Nam qui pendet, de agendo cogitat, sed nondum agit, quare de iis qui pendent dici nequit: inhonesta se et difficilia docent coguntque. Summum momentum

non est ponendum in voce pendent, sed in omni via, ut totum praebeat enunciatum hanc fere sententiam: omnes qualescunque agendi vias ingrediuntur. Quod quidem confirmatur auctoritate Haasii V. C. qui scripsit pergunt pro pendunt, quae conjectura quamquam mihi perplacet, praefero tamen aliam, quae minus etiam quam illa recedat a vera codd. scriptura. Nam una p littera mutata in t jam legitur: quod (i. e. ut sibi displiceant) necesse est accidere pendentibus. Ad vota sua omni via tendunt. Nec quidquam his vocibus inest quo offendamus: nam pendentibus quod dictum est nulla voce adposita, non est mirum, cum et Seneca idem vocabulum saepius ita usurpet (cf. Epp. 118, 3. 5, 8. nostri dialogi 10, 6) et Cicero scripserit: ne diutius pendeas etc. Votum vero hoc loco dictum pro re quam homines cupiunt, ut Diall. l. VI, 13, 3: voti compos. de benef. VI, 26, 1. Epp. 72, 7. Praeterea aliquot loci conferri possunt, qui huic sunt simillimi: Epp. 92, 31: non aliena via ad summa nititur. Epp. 92, 30: illo tendit memor. Diall. IX, 17, 6: ad hoc tenderet cupiditas hominum. Livius scripsit: tendere ad sua consilia. Ejusdem libri c. 2, p. 15 scribendum est rapidarum deliciarum. Quem locum qui emendare voluerunt, removerunt suo profecto jure formam adjectivi masculinam, quam retinuit Ruhkopfius; neque tamen placet quod plerique critici receperunt ex optimis quidem codd. rabidarum pro rapidarum, quam vocem, quamquam recentiores tantummodo codd. praebent, tamen alteri scripturae praefero. Toto enim capite Seneca agit non de iis qui rabie quadam sunt impleti, sed de iis qui summa cum celeritate ex alia in aliam voluptatem transeunt, id quod est proprium rapidorum, non rabidorum.

non est ponendum in voce prudens, sed in omni vita, ut totum praebeat convivium [illegible] sententiarum; omnes qualescunque agendi vias ingrediantur. Quod quidem confirmatur [illegible] auctoritate Hanssi V. C. qui scripsit pergunt [illegible] quae [illegible] quam quam mihi perplaceat, praeterea tacere aliam, quae mihi [illegible] stri-
[illegible] Nam una p [illegible] in [illegible]
est accidere prudentibus. An vero [illegible]
meus non offenderemus: nam prudentibus [illegible]
dicitur, cum et Seneca idem [illegible]
dialog. 10, 6) et Cicero [illegible]
pro re quam homines cupiunt [illegible]
Epp. 72, 7. [illegible]
non alia [illegible]
17, 5. ad hoc [illegible]
Eiusdem. Ibid [illegible]
emendare [illegible]
retinuit [illegible]
dem codd. [illegible]
modo codd. [illegible]
ele illa qui [illegible]
ultima voluptate [illegible]